



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. IV. Excerpendum esse testimonio, & exemplo Iusti Lipsii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

Quid nos? quæ nostra est industria? Legimus, sed quia plerique nihil excerpimus, ideo parum proficimus legendo. Paucè quæ dixerim. Caudices & stupores, qui fuimus, manemus. Post aliquot lustra in litteris consumpta, vel notissima quæque ignoramus, quia excerpere ac notare nolumus. En præciavi Triumviros pro Excerptis stantes. Excerptum, ac notandum est, aliter ad seriam eruditionem accessus non est. Utriusque Plinius & Auli Gellii tam testimonium, quam exemplum suadet, & invitat, sed non solum. Plures ex eadem classe huc sisto, & Triumviros nostri etiam ævi adduco.

CAPUT IV.

Excerptum esse testimonio & exemplo Iusti Lipsii.

Triumvirorum nostri ævi in excerpendo studium. Senec. ep. 33. m. p. 444.

Hic præfari lubet de Senecâ, quem Lipsius inter omnes veteres scriptores laudatissimum & virtutis studio pape Christianum semper veneratus Notis illustravit. Ergo Seneca in epistolis: Non est, inquit, quod exigas Excerpta & repetita: continuum est apud nostros, quidquid apud alios excerpitur. Ad quæ Lipsius: intelligite, ait Repetita, laudabilia, & quæ solent lectione iterari: an quia etiam inter legendum dici solet, Repete? Hoc puto: etsi Repetita, quasi divisa, & in locos suos partita, possis legere. Jam ad Iustum.

J. Justus Lipsius.

Iustus Lipsius, eruditionis primæ, iudicii maximi, Regius professor & historicus annis pluribus Lovanii, scriptis eruditissimis jam pridem orbi notus. Favst. E Lipsii libri quatuor dumtaxat me legisse memini, Hallensem & Sicheimensem Virginem, Constantiam, & Exempla politica. Si quid ego iudico, nervosus scriptor est, & plenus succi. Quæ alia scripserit, scire pervelim.

Catalogus librorum a Justo Lipsio scriptorum.

Evlog. Audi compendio, & miraberis. In lucem dedit Lipsius, de Militiâ Romanâ libros 5. Poliorceticâ libros 5. de Admirandis Urbis Romæ libros 4. de Constantiâ libros 2. Antiquarum lectionum libros 5. Epistolæ quarum quæstionum libros itidem 5. Variarum lectionum libros 3. Syntagma de Bibliothecis, Amphitheatrum, Electorum libros 2. Satyræ Mehippæam, Saturnalium libros 2. Virginem Hallensem, Virginem Sicheimensem, Politicorum libros 6. Syntagma de Vestâ & Vestalibus, Politicorum monitorum & exemplorum libros 2. Lovanium, Manuuctionis ad Stoicam philosophiam libros 3. Physiologiæ Stoicæ libros 3. de Cruce pariter libros 3. Librum de Una Religione adversus Dialogistam, de Pronuntiatione linguæ Latinæ, Centurias 8. epistoliarum: Commentarios, Notæ, Animadversiones, Scholia in Senecam, Tacitum, Velleium Paterculum, Dissertationes & alia talia non numero. Favst. Superi vir unus tot libros, tam abundantes non verborum, sed rerum! Evlog. Quod Plinius de Plinio avunculo suæ dixerat, idem de Lipsio affirmandum: Miraris quod homo occupatus tot absolverit volumina, magis miraberis, si scieris illum publicè docuisse, fracta & imbecilli valetudine fuisse, itinera, prolixiora obiisse, bibliothecas in orbe nobilissimas lustrasse, negotiis diversis non defuisse. Unde igitur illi tam copiosa, & illustris eruditio? unde tam multiplex & insignis scriptorio, tot librorum fecunditas? Causam audi germanissimam: Non legit tantum Lipsius, sed & Excerptis, idque cum iudicio, non obvia quævis in chartas rapiendo, sed seligendo, & excerpando. Hinc ipsius dictum solenne: Non colligo, sed seligo. Selegit præsertim hæc apud mel eximium.

Justus Lipsius seligendo & excerpendo fuit tot librorum scriptor.

Politicorum librorum elogium.

Unicum viri opus propono; Politicorum sex libros, opus planè accuratum, tersum, varium, elegans, eruditum, & pæne dixerim, obstupescendum, ac paucis imitabile. Inspice, & mecum senties. Artificioso, variegato, Babylonico, beluato tapeti Lipsiana Politica rectè com-

paratim. Incredibili namque artificio & nexu è verbis optimorum quorumque scriptorum suum ille contextum elaboravit. Sua Lipsius loquitur, sed ore, inquam partem non suo, idque tam dextrè ut Livii aut Taciti verba iures esse Lipsii. Hæc autem absque Excerptis nec sine excerpissimâ quidem memoria non dicam perficere, sed nec tentare audeat. Fieri non potest, ut talis scriptio componatur, quin prius plurimum Excerptatur. Ad murum erigendum cæmento, lapidibus, arenâ est opus; ad longiorem ejusmodi scriptionem Notæ ac Excerpta profus necessaria sunt. Imò nec declamationem, aut orationem ullam eruditè struxeris, ni prius tam verba, quam tem dictioni aptam excerpseris.

Nec solum ad exaranda Politica dicendus Excerptis Lipsius: idem in aliis fecit. Cetera illius scripta inspiciamus, & sine copiosâ Notarum & Excerptorum supellectili non potuissè confici affirmabimus.

Sed ego hîc in amicæ aures arcana aliquid instillaverim. Aliquem excerpenti modum Lipsius docuit, sed facillimè persuadeor, non eo solum, sed & alio fuisse usum, quem non docuerit. Nimirum tales viri non omnia artis secreta vulgant. Principia in arte monstrant, secretius artificium sibi servant. Lipsius hanc omnem Excerptandi artem pagellâ unicâ nec quidem totâ tradidit. Verba Lipsii sunt: Quid seligas, & à quibus partem feci alteram. De quâ etsi exemplis dicere facilius possem, quam scriptis, tamen breviter hæc habe. Lectionem ipsam non sufficere, ne repetitam quidem, imò nec in felicissimâ memoriâ: sed opus esse Excerptis quibusdam & Notis rerum verborumque singulorum, quas imitemur. Quæ Excerpta Memorialibus libellis, tanquam arario contineri velim, unde sermonis illæ opes per tempus & ad usum promanent. Fieri autem libellos triplices: Unum quem Formularum dixerim; Alterum, quem Ornamentorum; Tertium, quem Dictionum.

Hæc autem, o doctissime Lipsi, ferè tantum epistolis scribendis faciunt. Quid porro ad eruditionem ceteram, quid verum ac historiarum è scriptoribus excerpendum? Hic tacet Iustus, & suum sibi secretum servat. Ne dubitemus Excerpta Lipsio fuisse copiosissima. Sed Excerptandi mysterium omnibus evulgare non libebat.

Hoc ergo jam certum tam testimonio, quam exemplo doctissimi viri, ad parandam eruditionem Notis & Excerptis opus esse. Sine his aliquid volatilo haustu capere licet, ad doctrinam solidam pervenire non licet. Sed è Triumviris testem alium huc sisto, Martinum Delrium.

CAPUT V.

Excerptum esse testimonio & exemplo Martini Delrii.

Liceat de hoc viro pauca præfari. Martinus Antonius Delrius Majores habuit, & parentes nobilissimos; summa eorum apud Hispaniæ reges auctoritas. Pater Delrii, Antonius Delrius, in agro Antverpiensi Toparcha, Regiâ Consiliis, post Fiscî Regii in Belgio præfecturam. Domus illius Regibus & Proregibus eò adventantibus familiare fuit prætorium. Mater Delrii Eleonora Lopefia Aragonum proceribus oriunda. Sed exteriora sunt ista, nec in censum viri suo peculio divitis referenda; sermo nobis est de supellectile & ornamentis litterariis.

Graviora studia tractavit Delrius hoc ordine. Parisiis in Philosophiâ Magistrum habuit Joannem Maldonatum è scriptis notum; Duaci in Jurisprudentiâ Ludovicum Carrionem. Duaco Lovanium se contulit, ubi Cornelii Valerii disciplinâ, & Iusti Lipsii familiaritate summos in litteris progressus fecit: præcipuam tamen